

sum repetiit, et proxime ad metam perduxit: tum rursus languore prostratus necessitati religiose concessit Romæ, anno Domini 1606. die 17. Maii.

P.

I. Parisiensis Matthæus, natione Anglus ac Monachus in Cœnobio S. Albani O. B. Congregationis Cluniacensis, ut ferunt, scripsit notam cunctis historiam Anglicanam, quam primum perduxit ab anno 1066. usque ad annum 1259. Ipsemet deinde continuavit usque 1259. quo vivere desit.

II. S. Prosper Aquitanicus, S. Augustini, ut nonnulli volunt, discipulus, certe doctrinæ ejus solertissimus ac nervosissimus defensor, laicus fuisse creditur, ac conjugio implicatus. Scripsit integrum Chronicon ab Adam, mundi que ortu ad annum 4555. cum adnotatione Consulium Romanorum, a duobus geminis Consulibus et anno Christianæ æræ usque ad Valentini Augusti VIII. et Anthemii Consulatum.

R.

I. Ribadeneira Petrus, Hispanus S. J., scripsit vitas Sanctorum, et etiam nostrorum aliquot, puta S. Ignatii, P. Jacobi Laynez, P. Alphonsi Salmeronis, S. Francisci Borgiae.

II. Rosweidus Heribertus, Belga S. J., vir antiquitatis peritissimus, scripsit historiam Ecclesiasticam a Christo usque ad Urbanum VIII. Vitas Sanctorum et Vitas Patrum notis illustravit.

S.

I. Sacchinus Franciscus, Italus S. J., unde viginti annos in historia Societatis conscribenda consumpsit, cujus quatuor posteriores partes post primam ab Orlandino scriptam feliciter absolvit. S. B.

II. Sallianus Jacobus Gallus, vir vite integritate et indefesso labore conspicuus, scripsit celebre Annalium Ecclesiasticorum opus, et seorsim Epitomen seu medullam ex illis collectam.

III. Strada Famianus, Italus S. J., Historicus tota Europa celebris, scripsit de bello Belgico tres Decades; quos cum Uladislaus IV. Rex Poloniae ac Sueciae legisset, datis ad P. Mutium Vitellescum, Præpositum Generalem, litteris: « Armorum, inquit, motus in Belgio

singulari cultoque stylo ad sinceræ veritatis historiam expositi a P. Famiano Strada tanto omnium Ordinum plausu excepti sunt, ut homines profecto non desinant, aut hosce annales admirari, aut eorum continuationem ardentius exposcere. Nos, qui eos singulari voluptate legimus et admirati sumus, nec minus quam alii idem exoptamus, haud necesse, quantum et circumspectio in homine tante existimationis, et virtus fugiendae publicæ laudis, eum ab hac continuatione rememorata sit. Idcirco nostris hisce litteris P. Vestram compellavimus cupientes ab ea operam adhiberi, ut ea non omittat, quæ supersunt, in lucem edere, ad hujus sæculi gloriam, ad Societatis laudem, et Scriptoris famam, etc. »

IV. Sulpitius Severus, æqualis et amicissimus fuit S. Paulini, ut notum est ex epistolis invicem scriptis. Scripsit libros duos de sacra historia. Item vitam S. Martini Turonensis. Item dialogum de conversatione Orientalium Monachorum.

V. Silvius Aeneas, patria Senensis, vir doctus, prudens, et magni animi, ac primum a secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius Secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obiit anno Domini 1464. Scripsit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum unum.

T.

I. Trigantius Nicolaus, Belga S. J., missionarius Sinensis, scripsit historiam de Sinensi expeditione, item Annales Sinenses, ac Christianos triumphos in Japonia. B. S.

II. Trithemius Joannes, natione Germanus, Abbas Spanhemensis, Ordinis S. Benedicti, vivebat anno 1500. et obiit anno 1529. ætatis suæ 57. Scripsit opera plurima, sed notiora sunt historica, quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600. Scripsit igitur de illustribus viris Ordinis S. Benedicti, de scriptoribus Ecclesiasticis.

Z.

Zonaras Joannes, monachus Græcus, scripsit lib. 3. Annalium, quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad obitum Alexii Comneni Imperatoris Græcorum, qui obiit anno Domini millesimo centesimo decimo octavo.

INDEX CONCIONATORIIUS

IN EVANGELIA FESTORUM ET DOMINICARUM.

Ut Index iste tanto magis servare possit lectori, tria circa eundem breviter præmonendum censui.

Primum est, me, dum fusiis nonnihil materiam pro concione aliqua digessi, non ea intentione id fecisse, quod velim, Concionatorem adstringi conceptu a me designato, sed ut leviori aliquo modo redere laborem iis, qui majorem in ejusmodi conceptibus digerendis difficultatem experiuntur: unde quibus conceptus ejusmodi non placet, poterunt solam in illo conceptu virtutem, vel vitium assumere, et pro suo genio formam concionis ex locis pro tali conceptu designatis disponere.

Alterum est, ut meminerit Lector illius modi, quem Instructione VII. optimum, et facillimum esse dixi in concionibus formandis, scilicet 1. Scopum aliquem practicum seu in quotidianos usus venientem, v. g. vitium aliquod, aut virtutem, eligat. 2. Illius sensum bene declaret, v. g. in quo virtus aut vitium illud consistat, aut quomodo exerceri, vel vitari debeat; ostendat. 3. Unam vel alteram rationem popularem, cur doctrina talis praticari debeat, afferat, eandemque auctoritate S. Scripturæ, SS. Patrum, similitudine, vel eruditione confirmet. 4. Historiam etiam aliquam inserat, si placet, qua Auditores magis ad eandem praxim incitentur. 5. Interdum objectionem quoque unam, vel alteram, qua Auditoribus contra talem doctrinam facile occurrere possent, proponat, et apte solvat. 6. Denique fervente, et apto epilogo Auditores ad practicandam talem doctrinam excitet, et impellat: ad quem finem copiosam illi quivis titulus materiam suggeret, aut præter electionem doctrinæ nulla propemodum re alia ei opus sit futurum.

Tertium est, ut, quando tam in hoc Indice quam in ipso contextu Bibliothecæ inter conceptus aliquos practicabiles assignavero Allegoriam aliquam, sciat, neutiquam me velle, ut Concionator in illa Allegoria probanda immeretur, sed ut ea per modum acus, qua filium doctrinæ introducat, usurpetur, atque adeo ut potissimum labor in ipsa doctrina probanda, et inculcanda impendatur; alioqui enim sterilis erit Concio, et nullum alium fructum, nisi quod hunc vel illum Sanctum utingiose, et apte huic vel illi rei comparatum fateri debeat, reportabit Auditor, quod utique est contra finem, et institutum Concionis.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

II. Ex eodem themate potest SS. Jesu nomine Oleo comparari juxta illud Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum: et fructus ex invocatione hujus SS. Nominis reportari soliti demonstrari; de quo vide tit. Christus.

III. Potest idem ostendi, quomodo annum novum bene inchoare debeant, scilicet duas facies a Jano (a quo Januarius dictus est) mutuando, per quarum priorem uno oculo respiciant ad accepta priori anno beneficia:

I. Et vocatum est nomen Jesus. Luc. II. Potest donari Auditoribus SS. nomen IHS pro Xenio, et Clericis quidem littera I, juvenibus S, cum variis doctrinis ipsorum Statui congruentibus offerri, ut videre est tit. Christus, et in Instruct. mea VII. in concion. pro anno.

altero ad commissā peccata, et pro illis gratias agant, pro istis veniant petant. Per posteriorem faciem uno oculo respiciant ad actiones sequenti anno suscipiendas, ut illas fructuose peragant: altero ad tribulationes supportandas, ut eas fructuose sustineant; pro quo vide tit. Gratitudo, Pœnitentia, Intentio, Bona patientia, et tit. Opera bona. Item Instruct. VII. conc. pro hoc Festo.

IV. *Completis sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Luc. II. Potest culter, quo Christus circumciscus est, pro Xenio variis personis offerri. 1° Clericis, partim ut privatim proprias cupiditates malas circumciscant: partim ut publice in concionibus vitia populi commissi rescent, 2° Magistratui, ut eo utantur velut medici respectu corporis, id est, Reipublice, et tum putrida membra abscondant, aut incidant: tum dividant per justitiam civis, quod suum est. 3° Patribus familias, ut in domesticis prædicant inutiles ramos disciplinæ domesticæ nocentes. 4° Cuiusvis personæ, ut in horto animæ suæ vitulina spuria præcidat; quo virtutes Christiano dignæ tanto melius crescant. Excitentur ergo Auditores, ut illa Jerem. IV. verba sibi applicent: Circumcidamini Domino, et auferite præputia, etc. item illa Act. XV. Quia nisi circumcidamini, non potestis salvari, nam ideo Christus etiam nomen Jesu, seu Salvatoris non aliter obtinere voluit, nisi per circumcisionem, etc. Vide tit. Mortificatio.

V. *Et vocatum est nomen ejus Jesus.* Luc. II. Ostendi potest, quomodo quisque per Jesum salvari, et ut bonum semper annum habeat, efficere possit, scilicet si observet id, quod David Psal. XXXIII. dixit: Quis est homo, etc. Declina a malo, etc. explicetur ergo, 1° quid sit bonus annus, nempe is, in quo habemus quod volumus, cum autem nemo certus habeat semper id, quod vult, quam qui vult id, quod Deus vult, recte infertur, eum habiturum semper bonum annum: qui voluntatem suam perfecte cum divina conformat, ut ipse Christus S. Catharinæ Sennensis revelavit. Ostendatur ergo præctice, quomodo pro annum voluntatem suam in agendo, sustinendo, et patiendo conformare debeant. Vide tit. Resignatio.

VI. Ex occasione ejusdem thematis possunt Auditores excitari, ut more Societatis Jesu renovationem instituant, in eaque tria observent, quas in imagine renovanda solent observari, nempe 1° Ut abluatur imago per penitentiam, velut aquam calidam a sordi-

bus, seu peccatis. 2° Ut in iis partibus, quæ obliteratae sunt, novi colores, id est, virtutes Christi per imitationem obducatur. 3° Ut velum obducatur firmi propositi, aliorumque mediolorum, quibus pulvis imperfectiorum areatur, et antiquæ occasiones vel consuetudines tollantur. Vide tit. Pœnitentia, tit. Christus, et Consuetudo. Plures item conceptus in Instruct. VII. pro Festo Circumcisionis.

VII. Pro Xenio potest offerri imago Christi Pueruli, sed diversis flatibus diversa. Et Clericis quidem aurea, ut inde discant. 1° Sicut aurum prestantius est omnibus aliis metallis, ita statum suum omnibus aliis superiorem esse, atque adeo etiam virtutibus excellere debere. 2° Sicut aurum omnia peccata ad se trahit, ita ipsos omnes sæculares exemplo, et verbo ad se trahere debere. 3° Ut aurum mire cor confortat, ita ipsos consolari, et roborare animas sibi commissas debere. 4° Ut aurum ex igne purius exit, et percussum non frangitur; ita ipsos cum S. Paulo dicere debere: Quis me separabit a charitate Christi? — Conjugibus argentea imago offeratur. 1° Ut discant, se suo statu inferiores esse Sacerdotibus, atque adeo debitam reverentiam exhibere debere. 2° Sicut argentum purum est valde, nec sordes facile contrahit, ita ipsos puritati conscientiæ adeo studere debere: ut dicere possint cum Christo: Quis arguet me de peccato? 3° Sicut argento omnia necessaria pro se, et aliis emi possunt, ita ipsos domesticis omnia ad vitam necessaria procurare debere. 4° Ut argentum crebro manibus versatum easdem maculat; ita ipsos cavere debere, ne vel liberiori conversatione, vel nimio opum usu animas commaculent. — Juvenibus cerea imago offeratur. 1° Ut discant, cere in modum tractabilis esse. 2° Ut meminerint, statum suum fragilem esse insuetudinem. 1° Quia a magno Domino datum, scilicet a Deo. 2° Quia significationem magnam habet, ut Josephi Ægyptiaci, sed magis Salvator Jesus, id quod ex comparatione beneficiorum ostendatur. 3° Quia per magna facinora obtentum est, dum humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis. Incitentur proin Auditores, ut dicant cum Josepho et Azaria. I. Mac. c. v. Faciamus et ipsi nobis nomen, etc. per similia facta.

latis lignea imago offeratur, ut discant. 1° Sicut lignum est aptissima pro igne accendendo materia, ita tribulationes optimam præbere occasionem charitatis divinæ exercende. 2° Ut discant se tractabiles exhibere Superioribus, medicis, chirurgis, infirmariis, sicut et lignum pro libitu secari, et dolari se permittit. 3° Ut meminerint, sicut lignum durum est, et non facile frangitur, ita nec ipsos doloribus et molestiis morbi cedere, frangique debere, cum gaudeat patientia duris, juxta commune proverbium: *Dum detnem Ubel weiche nit, sondern thin keck entgegen trit.* Vide Instr. VII.

VIII. Ex occasione thematis: *Et vocatum est nomen ejus Jesus*, ostendatur, quod in hoc nomine maxime verificetur versus ille: *Conveniunt rebus nomina sepe suis.* Eo quod Christus triplici in occasione se Salvatorem ostendere solet, 1° In universali Redemptione generis humani; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex dictis tit. Passio Christi, et inferatur cum Sancto Bernardo: « Si totum debeo pro me facto, quid addam pro me reflecto? » 2° In justificatione cujusvis hominis privati; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex similitudine rei ad ignem, vel rotam damnati, cui pena ob pauca verba penitentiam significantia dimitteretur, simulque inter amicos Regis offensus cum magnis donis reciperetur inferaturque æquum esse, ut, cui multum dimititur, multum diligat. 3° In liberatione a variis miseriis, et tribulationibus, et tentationibus, ut S. Bernardus indicavit dicens: « Nihil ita, etc. et tristatur aliquis vestrum, etc. » vide tit. Christus unde suadendum, ut morem Judæorum sequantur Auditores, dicentium in adversis casibus: Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares fiamus.

IX. Ex eodem themate ostendatur, quale sit hoc nomen, et quam magnum ex triplici titulo. 1° Quia a magno Domino datum, scilicet a Deo. 2° Quia significationem magnam habet, ut Josephi Ægyptiaci, sed magis Salvator Jesus, id quod ex comparatione beneficiorum ostendatur. 3° Quia per magna facinora obtentum est, dum humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis. Incitentur proin Auditores, ut dicant cum Josepho et Azaria. I. Mac. c. v. Faciamus et ipsi nobis nomen, etc. per similia facta.

X. Ostendi potest, quomodo felicem annum, imo et totum reliquam vitam habere possint Auditores, scilicet per voluntatis

suæ cum divina perfectam unionem, pro qua doctrina implenda conducere possunt ea, quæ Christus San. Catharinæ Sennensense docuit, uti Tit. Resig. videre est.

XI. Offerri potest pro Xenio Calendarium, quod certo indicet, qualem annum quisque habiturus sit; nempe qualem veluerit; sicut rusticus quidam dicebat, se semper optimam habere tempestatem, eo quod aliam habere noluerit, quam a Deo missam, et ideo fruges, et messen semper optimam habuerit; de quo vide tit. Resignatio.

XII. Offerri potest pro Xenio doctrina, qua bene se, et alios dirigere, et sic felicissimum annum obtinere queant, ad quem finem narretur in primis historia de Philosopho Regi juveni Sapientiam vendente, et hanc doctrinam: *Nihil incipe, donec exitum consideres*: suggerent. Dein ostendatur, quomodo in praxi usurari debeat hæc doctrina. 1° In occasionibus peccandi. 2° In actionibus quotidianis perficiendis. 3° In tribulationibus perferendis. De quo vide tit. Prudentia, et fufus in Instruct. VII.

XIII. Simili modo offerri potest pro Xenio triplex doctrina a philomela aucupii data, 1° Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne tentes; scilicet libertatem ab omni tribulatione in hac vita. 2° Rem, quæ non est vero similis, non credito, scilicet felicitatem veram in divitiis, honoribus, voluptatibus consistere. 3° Rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito, videlicet jacturam divitiarum caducarum, amicorum, mortuorum, temporis. De quo conceptu vid. tit. Prudentia et tit. Divitiæ, ac Tempus, ac Felicitas.

XIV. Ex occasione thematis: *Completis sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, ostendi potest, quomodo se quisque spiritualiter circumcidere debeat, tollendo præputium concupiscentiæ, et quomodo per hæc circumcisionem obtineat circumciscus Salvatoris nomen, dum suam, et aliorum salutem efficaciter per hæc circumcisionem procuret. Unde de hac circumcissione intelligenda est sententia Act. XV. Nisi circumcidamini, non poteritis salvari. De quo vide tit. Concupiscentia.

PRO FESTO EPIPHANIE.

I. *Obtulerunt ei munera.* Ostendi potest, hoc Festum præter alios titulos Festum donorum appellari, et apud Germanos *die Gea-*

nacht : ut ostenderetur, in hoc Festo præcipue liberales esse debere, tum erga homines, tum et maxime erga Deum, quod hoc die Gentiles ad se vocando Catholicam fidem fundavit; quia vero non omnes sciunt, quod donum Deo gratissimum sit, dicat Concionator se id ostensurum, et dividat concionem in tres partes. In prima ostendat, uti gratius offerri posse, quam cor. Eum in finem narret ex Philippo Diez, quod Eremitæ cupiunt petenti assidue, ut ostendere Deus dignetur, quid ipsi gratissimum offerri queat, Diabolus in specie Angeli apparuerit, et dixerit, gratis-simum Deo fore, si dimidium lunam, rotunditatem solis, et quartam partem rote offerret. Cumque Eremita hoc non intelligens explicationem a Deo peteret, verum Angelum apparuisse, et dixisse, quod per dimidium lunam littera C, per solis rotunditatem littera O, per quartam partem rote littera R, atque adeo per earum conjunctionem vox *Cor* intelligeretur; hoc enim præ aliis peti a Deo **PROVERB. XXIII.** Filii præbe, etc. hinc **PSALM. XXXII.** singillatim illud creasse dicitur, et **PROV. IV.** omni custodia servari cupit, omniaque se daturum I. Jo. III. promittit, si cor nostrum non reprehenderit. In secunda parte ostendat, quomodo debeant cor offerre, si scilicet hujus doni plenam dispositionem, et possessionem, ipsi per amorem relinquunt, nullum alium possessorem admittendo, hinc dicit: Diliges Deum ex toto corde, et Thomas Kem. I. II. cap. VII. Dilectus tuus talis est nature, etc. In tertio exponat causas, cur cor offerre debeant, narrando ex speculo magno exempl. V. Dilectio, ex II. historiam de Virgine, in cuius corde rupto aureis litteris scripta sunt hæc verba: Diligo te plus quam me, quia creasti, redemisti, dotasti me, in Incarnatione, Eucharistia institutione, justificatione, prædestinatione; quæ omnia ex dictis in titul. Charitas confirmari possunt.

II. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* **MATT. II.** Ostendi potest, per ista tria dona tres virtutes Theologicas, significari, quæ ideo offerri voluit Deus, ut ostenderet, per hæc dona præcipue honorari Christum, gratiamque illius, et favorem acquiri. Ostendatur ergo, quomodo per myrrham fides ob difficultatem amara, per thus spes rursus ascendens, et per aurum ex elementis pretiosissimum Charitas virtutum præstantissima designetur; et declararetur ulterius, quomodo tres Reges has virtutes exercuerint, et quis Christianus eos imitari

debeat; in quem finem servire poterunt, quæ titulus de Fide, Spe, et Charitate sunt dicta.

III. *Aperitis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* **MATT. II.** Dicit potest, varias causas a variis assignari, cur aurum, thus, et myrrham Deus per tres Reges offerri voluerit, præcipuum tamen videri, ut ostenderet, per quæ opera Christiani (quorum primitiæ fuerant tres Reges) suam vocationem certam facere debeant, scilicet per myrrham jejunii, per thus orationis, per aurum elemosynæ; ostendatur, proin, quam apte his operibus dona Magorum comparentur, et quomodo per ea quisquis Christianus vocationem suam certam facere, et signum prædestinationis obtinere possit; ad quæ servantur dicta in titulis Absinentia, Oratio, Elemosyna.

IV. *Et procidentes adoraverunt eum.* **MATT. II.** ostendatur, quomodo Magi modum vore, et fructuose orandi, et templa frequentandi docuerint, docendo, quid ante ingressum, in ingressu, et post ingressum faciendum sit; de quo vide dict. tit. Oratio.

V. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* **MATT. II.** Dicitur esse laudabilem morem quorundam Religiosorum, ut in Festo principali renovent vota sua; hunc autem morem Christiano civis in hoc Festo utpote principali Christianorum imitandum esse, ideoque præstanda tria, quæ in dicta renovatione votorum præstare solent Religiosi. Et 1^o reficetur memoria beneficii per vocationem collati, pro quo tit. Fides serviet. 2^o Examinetur, quomodo vocationi satisfacerit, ut errores commissi per confessionem deleantur, mediæque apta pro emendatione inquirentur; de quo videatur tit. Pœnitentia. 3^o Ut renoventur vota et proposita Christiani in baptismo facta, de quo vide tit. Baptismus. Hinc suadet Thomas Kemp. I. I. c. XIX. Circa Festa principalia, etc. et fructum hujus renovationis ostendit, dicendo ibidem. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri Vide tit. Christianus.

VI. *Videntes autem stellam gradivis sunt gaudio magno valde.* **MATT. II.** dicit potest, varias causas assignari ab Auctoribus, cur Deus Magos per stellam vocaverit; potissimum videri, ut indicaret, sicut Magi velut primi Christiani per stellam ad Christum vocati sunt, ita reliquos quoque Christianos per veram fidem, quam stella representat, ad Deum in cœlis inveniendum, adorandum, et illo fruendum pervenire debere. Unde in

cœlis inveniendum, adorandum, et illo fruendum pervenire debere. Unde in quas partes concio dividi potest. In quarum prima ostendatur, quomodo, stella Magorum omnes vere fidei proprietates habuerit, de quo vide tit. Fides. In secunda, quomodo Magi se erga hæc stellam gesserint, videlicet 1^o quod videntes eam gavisini gaudio magno valde, quod idem faciendum Christianis, et quidem tanto magis, quanto plures et digniores fuerint, quibus hæc stella non est orta. Vide cit. tit. 2^o. Quod ejus ductum secuti sint; hinc et Christiani juxta principia fidei vivere; certe S. Theresia dixit, omnia vitia Christianorum ex defectu fidei oriri; hinc M. Avila dicere solebat, malos Christianos aut Hæreticorum carcere dignos esse, si non credant articulos fidei, aut stultorum cavea, si credant, quæ de cœlo et inferno revelata sunt, et tamen tam male vivant. 3^o Etiam Herodi et alii eam annuntiarunt, et publice confessi sunt; sic et Christiani non tantum corde, sed etiam ore et opere confiteri debent juxta illud **ROM. X.** Corde creditur, etc. uti fecerunt SS. Astion et Epictetus Martyres, ad omnes questiones Præfecti nihil aliud respondentes, quam Christiani sumus, ut in vitis Patrum legitur apud Rosweid, ut dicere possint cum S. Paulo II. **TIM. IV.** Bonum certamen certavi; fidem servavi, etc. Vide plura tit. Fides et tit. IX. Christianus. Item **INSTR. VII.** Exempl.

VII. Ex occasione thematis, *Obtulerunt ei munera, ostendatur, quod munus sit gratis-simum, illud videlicet, de quo Thomas Kemp. I. III. c. VIII. ait in persona Christi: Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? Unde declaratur: Quid sit se offerre, scilicet alterius arbitrio et voluntati se committere. 2^o. Quis fructu sex tali oblatione sperari possit, scilicet ut Deus vicissim se totum possidendum offerat, sicut dicere possit offerens: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo. Vide tit. Resignatio, et Deus.*

VIII. Ex occasione thematis: *Videntes stellam gradivis sunt gaudio magno valde,* ostendi potest magnitudo gaudii, quod ex Fide divina percipitur, quod ostendi potest ex beneficio visus cæco restituti. Unde in prima parte comparetur earentia Fidei cum cæcitate corporali, ut de qua verius dicitur illud Tobie cap. IV. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? In secunda parte ostendatur, quomodo Fides interna, et externa sint quo oculi anime,

simulque eorum utilitas ex aptitudine ad vitandum lapsus, et errorem itineris, ad functiones peragendas, ad objecta delectabilia cum voluptate aspicienda, declaratur. Vide tit. Fides.

IX. Ex occasione thematis: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerusalem.* **MATT. C. I.** dicit potest, hos Magos ex Gentilibus fuisse primos Christianos, atque adeo in exemplum proponi deberi, quomodo vitam Christianam ducere oporteat, scilicet, ut, quemadmodum quidam S. Pater advertit, sit in corde Christiani charitas, in ore veritas, in corpore castitas; quæ proin fusius explicanda erunt.

X. Ex occasione thematis: *Et procidentes adoraverunt illum, et aperitis thesauris obtulerunt ei munera;* ostendi potest, non sufficere solam fidem ad nomen Christiani obtinendum, sed etiam opera requiri, uti fides ostendi potest ex iis, quæ tit. Christianus sunt dicta. et tit. Fides.

XI. Ex occasione thematis: *Videntes stellam gradivis sunt,* potest per stellam præsentia Dei intelligi, quantum latitiam illa pariat, si ob oculos versetur, seu antecedit in tentationibus, ad quæ deducenda servire multum potest titulus Dei Præsentia.

XII. Ex occasione thematis: *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham,* declarari potest, quæ potissimum munera a Christianis offerri debeant, scilicet aurum charitatis, seu observationis mandatorum, thus orationis, et myrrha mortificationis, de quibus vide titulos speciales.

PRO FESTO PURIFICATIONIS.

I. *Tulerunt puerum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.* **LUC. II.** Persuadenda sui ipsius oblatio ad exemplum Christi, ideoque in exordio narrandum factum Æschini, pauperis Philosophi, qui teste Seneca I. I. de Benef. c. VII. cum alio Soerati Magistro varia dona offerens, ipse quoque accessit, eumque sic allocutus est: « Video, o Magister, varia tibi ab aliis dona offerri, ego vero cum aliud non habeam, nisi meipsum, hoc unicum quod habeo, totum offero, rogans, ut boni hoc domum consulas, meminerisque alios, dum multa tibi obtulerunt, plura sibi ipsis reservasse. » Quo audit Soerates respondit: « Equo animo esto Æschini-

nes, profecto enim tu liberalitate tua omnes vicisti. Accipio ergo te, daboque operam, ut te tibi meliorem restituam. » Ex cujus historia occasione dividi potest concio in tres partes, et in prima quidem, quomodo oblatio sui sit facienda, per resignationem scilicet, voluntatis suae. 2^o. Quas ob causas haec oblatio sit prompte, et libenter facienda, quia scilicet donum hoc est *maximum*, cum nihil sibi offerens reservet: *facillimum* et *obvium*, cum ab omnibus etiam pauperimms offerri possit: *Deo gratissimum*, quia nihil magis requirit, teste Thoma. Kemp. l. IV. c. viii. Quid magis requiro, etc. *Multipli titulo debitum*, ut S. Bernardus testatur. l. de Dilig. Deo, dicens: « Si totum me debeo pro me facto, qui addam pro me refecto, etc. » quam sententiam vide in tit. Passio Christi. In tertia parte dicatur, quod Deus quoque sit hoc donum benignissime accepturus, et meliorem sibi quemque restiturus, meliorem scilicet *in temporalibus bonis*, juxta promissum Christi, *MATT. VI. QUARTE* primum regnum Dei, etc. et exemplum Agricola tit. Resignatio, narratum. Meliorem *in meritis*, cum de tali die possit, sicut de Christo, *LUC. II. PROFICIEBAT* etate, et sapientia, etc. nam profectus noster in hac resignatione maxime consistit, teste Thomas Kemp. l. III. c. xxv. Meliorem quoque *in pace, et quiete animi*, juxta testimonium Isaie *XIV. c. VIII. Utinam attendisses*, etc. et Thome Kemp. l. II. c. *XXXVII. Dixi tibi*, etc. Vide plura in hunc finem c. tit. Resignatio.

II. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* *LUC. II.* Potest ostendi, quod non tantum in veteri Testamento, sed etiam novo Deus primitias requirat, cum hoc sit Testamentum, et lex gratiae, atque adeo majorem gratitudinem, et professionem excellentiae, et potestatis Dei super omnes creaturas exigit. Ostendatur ergo, quales primitiae sint offerendae, nempe 4^o *Primitiae vitae rationalis seu adolescentiae*, juxta illud *ECCLES. II. Memento Creatoris*, quod tanto promptius faciendum, quanto major inde fructus sperandus; bonum enim est adolescenti, si jugum portaverit ab adolescentia sua, *THREN. III. v. XXXVII. bonum scilicet ad conservandam innocentiam et gratiam; bonum ad facilitatem et consuetudinem in virtute obtinendam; bonum ad fruendam meritum, et gloriam; bonum ad fruendam consolationem magnam ante, in, et post mortem. Taliter merito Tobias filium ab infantia ti-*

mere Deum docuit. *TOB. v. 18. de Anna et Samuele. I. I. REG. c. I. v. XXV. 2^o Primitia diei* per orationem exemplo Davidis *PSAL. II. Deus, etc. ad te de luce vigilo*, quod ut nos quoque prompte faciamus, monet. *S. Chrys. in PSAL. VI. dicens: « Si os nostrum per orationem munierimus, diurnae actionis pulchrum fundamentum jecimus. »* Idem S. Climacus grad. *XXV. suadet, dicens: « Da Domino primitias diei tuae, erit enim ista illius, qui prior occupaverit; unde Damonem specialem, qui praecursor vocatur, et primas diei cogitationes vindicare sibi conatur, constitutum dicit. Vide de hoc plura in Fabro conc. 2. in hoc Festo. 3^o Primitias cujusvis actionis* per bonam intentionem: juxta monitum D. Pauli. *I. COR. X. v. XXX. Si ergo manducatis, etc. et exemplum Abelis GEN. IV. adipem offerentis, adeps autem est gloria divina, quae per intentionem bonam queritur; sicut enim Deus dixit: Gloriam meam alteri non dabo; ita et de adipem dixit. LEV. III. v. XVI. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo. Sic S. Greg. Naz. fecit, dicens: « Tibi Christe vivo, tibi loquor, tibi Christe sedeo, tibi incedo, quandoquidem me manu regis. » Sic et Ecclesia preit exemplo, omnes horas incipiens a verso *Deus in adiutorium, etc.* Quo fructu autem hoc sit faciendum testatur S. David *PSALM. I. dicens: Et erit tanquam lignum, etc. expeditus S. Petrus LUC. v. v. in Verbo Christi laxans rete, et copiosam piscaturam faciens.**

III. *Lumen ad revelationem gentium.* *LUC. II.* Potest dici Folietam Historicorum Genuesem, ut indicaret, utilitati eorum studendo se consumere, candelam ceream ardentem in symbolum assumpsisse cum hoc lemmate: *Vestros consumo in usus; hoc autem potiori jure Christum dicere potuissim, ut qui verum per cereum significatur, quia ex virginea carne velut purissima cera factus: tum quia animam quoque purissimam et tenerrimam velut lychnum aptissimum igni fovendo victam habuit, et quia, accensus charitate, nostros in usus consumptus fuit, unde S. Bern. s. III. in Circumcis. ait: « Totus mihi datus, et totus in meos usus consumptus. » Imo Guericus s. de Purif. quasi prodigum esse dixit: « O Deus, si fas est dicere, prodigum se praedessiderio hominis; annon prodigum, qui non solum sua, sed et seipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam ipsi homini. Ostendatur dein quomodo hunc cereum in manus sumere, id est, cum fida-*

cia invocare debeamus, 4^o *Tempore orationis exemplo Ecclesiae omnes orationes cum clausula per Christum claudentes, hinc ipse Joannis XVI. V. XII. hortatur: Amen dico, etc. 2^o Tempore tempestatis, spiritualis praecipue, seu tribulationis; si enim cereus materialis toties contra hanc profuit, quanto magis Christus proderit, a quo ille virtutem accipit? Experti Apostoli in tempestate maris, et S. Catharina Sennensis, quae gravissima tentatione carnis pulsata, cum Christum ipsam visentem quaereret, cur se in illa tentationis tempestate reliquisset, eundem respondente am audivit: « In medio tuo pectore eram, et te custodivi, ne consentire tentationi. » 3^o *Tempore mortis, juxta illud Christi LUC. XII. v. XXXV. Sint lumi, etc. tunc dicendum cum David PSAL. XXX. v. IV. Si ambulavero, etc. cum S. Paulo Rom. II. VIII. v. III. Si Deus pro nobis qui contra nos? aut cum Job c. XVII. v. III. Pone me, Domine, etc. Sic dicemus cum Simenone, Nunc dimittis, etc. Vide Engelgr. Cacl. III. in hoc Festo, et Bibl. tit. Christus.**

IV. *Lumen ad revelationem gentium.* *LUC. II.* Potest sacrorum cereorum ceremonia explicari, et defendi; cum in finem pro exordio narretur, olim apud Romanos ludum fuisse, in quo singuli certantes lumen manibus ferre cogebantur ea conditione, ut vinceret, qui lumen inextinctum servabat. Subinferatur, similem ludum a Christo institutum per cereorum usum; hinc *LUC. XII. v. XXXV. dicebat: Sint lumi, etc. verum Haereticos conari omnibus viribus extinguere hos cereos, unde ostendendum 1^o quam sapienter instituta sit haec ceremonia referendo, et explicando fines, quos instituta est. 2^o Refutandae sunt objectiones Haereticorum quatuor, velut totidem venti aquarum plagis mundi flantes, nempe quod haec ceremonia superstitiosa sit: quod sit Ethnica, quod prodigialitati obnoxia, quod ridicula, dum de die lumen accendimus, quasi Deus parum videret; ad quae omnia fusius proponenda, videri possunt Faber in hoc festo c. VII. et Georg. Scherer concil. III.*

V. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus.* *LUC. II.* Dicit potest, sponsam Cant. I. v. IV. mirabilem sententiam de se protulisse, dum dixit: *Nigra sum, sed formosa; si enim nigra fuit, quomodo formosa esse potuit, neque enim nigri homines inter formosas numerantur. Sed hoc dubium ipsa statim solvit, dum addidit: Sicut tabernacula Cedar, etc. quae foris quidem nigra erant propter*

tempestatem: intus autem auro pulcherrime exornata; sic ergo et sponsa foris quidem et in conspectu hominum se nigram, et vilem esse reputatam fatetur: sed intus seu in animo totam formosam fuisse, uti David *PSALM. XLIV. de ea testatur, dicens: Omnis gloria filiae Regis ab intus.* Quod sponsa de se fassa est, id pariter de se B. Virgo in sua Purificatione fateri poterat, et dicere: *Nigra sum, sed formosa*: ad quod in ipsa concione fusius demonstrabitur, quae proin in tres partes dividitur.

In prima ostendatur, quomodo B. Virgo tempore Purificationis nigra fuerit, seu se humiliarit, dum instar aliarum mulierum, quae in peccato conceperunt ideoque purificari debuerunt purificationis legem implere voluit; cujus purificationis difficultas, et magnitudo ex dignitate personae fusius demonstratur.

In secunda parte ostendatur, quam formosa fuerit B. Virgo in conspectu Dei ob hanc humilitatem, id est, quantopere Deo placuerit; Nihil enim, teste Sancti Hieronymi, ad Celantiam, nihil est quod nos ita hominibus gratos, et Deo faciat, quam si vitae merito magis, sed humilitate infimi sumus; nam, ut S. Bernardus super Missus est, ait: « Non magnum est esse humilem in objectione, magna prostrus, et rara virtus humilitas honorata. » Ostendatur ergo, quam magna in dignitate constituta fuerit B. Virgo (pro quo probandum tit. Hyperdulia Mariana videri potest) quantoque adeo humilitatio fuerit, dum peccatricibus mulieribus annumerari voluit, et per consequens, quantopere Deo per hunc actum placuerit, ac in ejus conspectu formosa fuerit.

In tertia parte ostendatur, quo medio B. Virgo usa fuerit ad tantam humilitatem exercendam, scilicet eodem, quo sponsa usam se fuisse fatetur dicens: *Quia decoloravit me sol*: id est, Christus exemplo suo, id quod more suo pulchre S. Bernardus s. III. in Purif. indicat, dum B. Virginem sic loquentem inducit: « Quid mihi opus purificationis? Cur abstinere ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum templum factus est Spiritus Sancti? Cur non ingrediari templum, quae Dominum genuit templi? » Vere o B. Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nunquid Pifio tuo opus erat circumcisio. Esto inter mulieres tanquam una earum, nam et Filius tuus sic est in numero peccatorum. Excitentur proin

Auditores, ut et ipsi studeant excitare se gemino hoc Christi, et B. Virginis exemplo ad similem humilitatem exerceant; nec current, si nigri, id est, quoad statum, aut aestimationem viles sint apud homines: sed potius gaudeant se esse formosos, et gratos in conspectu Dei; nam, ut recte S. Ambrosius dixit, si gloriandum est Christiano, de sola humilitate gloriandum est, utpote de qua sola crescitur apud Deum. Dicant proinde cum Sancto Paulo GAL. VI. Mihi autem absit gloriari, etc. sibi que applicant consilium Ecclesiastici c. II. V. XXI. Confide, et mane in loco tuo, etc.

VI. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon, et homo iste justus, et timoratus. LUC. II. Ex hoc themate potest occurrere sumi excitandi Auditores ad dispositionem pro felici morte suscipiendam; quem in finem concio dividi potest in duas partes.

Et in prima quidem ostendi, quanti intersit uniuscujusque hominis felicem mortis articulum sortiri, utpote a quo tota felix aut infelix aeternitas dependat; quamque adeo merito Christus toties in Evangelio hortatus sit, ut homines ad mortem se parent: Sint lumi, etc. Et vos estote parati, etc. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

In secunda parte doceatur exemplo Simeonis, quae sit dispositio optima ad mortem, scilicet triplex. 1^o Ut quis, sicut Simeon, sit justus, et timoratus; nam vita optima est optima dispositio ad mortem, juxta notum axioma: Qualis vita, mors ita. *Wte das End, also die Lend.* 2^o Praesentia B. V. quae sudorem detergit, ut fecit viduae in Spec. Exempl. tit. Bona ex. 8. et contra Demones fortiter protegit, terribilis illis ut castrorum acies ordinata; hinc Ecclesia illam praecipue pro hoc articulo invocare docuit in salutatione Angelica. 3^o Si Christum in ulnis, imo in pectore, habeamus; tunc enim dicere aucter poterimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et cum Simeone: Nunc dimittis, etc. Hinc ab Ecclesia per modum viatici datus in ulnas offertur. Excitentur proinde Auditores ad hanc triplicem dispositionem procurrant, ut cum Joanne Berchmano e Societate, Regulas, Rosarium, et Crucifixum in manibus gerente dicere possint: Cum his tribus libenter moriar. Vide plura tit. Mors.

VII. Ex occasione thematis: *Postquam impleti sunt dies purgationis*, LUC. II. potest ostendi, quomodo B. V. se reputare poterit peccatricem indigentem remedio Purificatio-

nis, et ex hac occasione ulterius declarari potest, quomodo se quisvis homo juxta exemplum S. Francisci Seraphici et S. Borgiae maximum peccatorum se putare et vocare poterit; quem conceptum explicatum vide tit. Humil. Item apud Alphonsum Rodrig. par. II. tr. c. XXXIV.

VIII. Ex eodem themate occasio sumi potest demonstrandi, quomodo quisvis homo purificari debeat per frequentem usum contritionis, confessionis, et examinis conscientiae; simulque ostendi quantam inde laetitiam ante, in, et post mortem sit concepturus, juxta illud Thomae Kemp. effatum I. II. c. VI. Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide titulos Contritio, Confessio, et Examen Conscientiae.

IX. Ex occasione thematis: *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*, ostendi potest, quomodo per bonam intentionem omnes actiones nostras velut partus nostros in Jerusalem celestem portare, et Domino Deo sistere, seu offerre debeamus. Unde ostendi ulterius potest, quomodo facienda sit intentio, et quem fructum qui ex tali intentione sperare possit. De quo concepta vide plura tit. Intentio bona.

X. Ex occasione thematis: *Accepti eum in ulnas suas*, potest narrari historia de mendico semper laeto inter adversa, qui praeter alia dicere solebat, se Deum duobus brachiis tam arcte complexum fuisse, ut nunquam ab eo separari queat; haec autem brachia esse humilitatem, et charitatem; quorum proin exercitium breviter ostendendum erit; pro quo servient tituli Humilitas, et Charitas, et Heliotropium Drexelii lib. II. cap. I.

XI. Ex occasione thematis: *Lumen ad revelationem gentium*, LUC. C. II. possunt juxta morem receptum cerei distribui Sacerdotibus, senibus, viduis, virginibus, conjugatis, et monstrari, quid singuli a Simeone, Anna Prophetissa, Beata Virgine, Josepho in praesenti historia addiscere possint: quem conceptum fuis explicatum vide apud Fabrum in Festo Purificationis, c. VII.

XII. Ex occasione thematis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, potest explicari, quae sit optima dispositio ad mortem, ad quem finem referri potest, quod Joannes Berchman, studiosus e Societate Jesu, in morte Crucifixum, Rosarium, et Regulas in manum sumpserit, dixeritque: « Cum his tribus libenter moriar: » unde inferatur, amorem Christi crucifixi, B. Virginis, et mandatorum Dei observationem esse opti-

nam dispositionem ad mortem; de quibus vide tit. Passio Christi, et Hyperdulia.

PRO FESTO SANCTI SEBASTIANI.

I. *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* LUC. VI. Ex hoc textu sumatur occasio excitandi Auditores ad S. Sebastianum omni studio colendum. Eum in finem concio dividatur in duas partes, in quarum prima ostendatur, cur S. Sebastianus singulariter colendus sit, nempe ut a peste (cujus morbi gravitas ex vehementia veneni graviter cruciantis, cito perimentis, et facile alium invadentis, *erblich*, demonstratur) nos liberet; pro cujus confirmatione narretur historia de Angelo, tempore pestis in civitate aliqua circumveniente, domos, quo tot actibus, quot homines mori ex illa domo debebant, percutiente, postea vero ob preces publicas indictas manifestante cuiquam seni, aversum iri in hoc malum, si ara in honorem S. Sebastiani, extrueretur. In secunda ergo parte ostendatur, quomodo quoque ara spiritualis a quovis erigenda fit in honorem S. Sebastiani, atque adeo 1^o ponenda sit pro hoc altari erigendo basis, seu magna aestimatio de hoc Sancto concepta; ad quam aestimationem concipiendam juvare poterit, tum Dei ipsius tantopere S. Sebastiani cultum propagantis iudicium; tum communis hominum erga ipsum affectus, et veneratio. 2^o Erigendae sint columna, et reliquae partes altaris, id est, firma fiducia concipienda, eaque per seriam, et frequentem invocationem, aliaque pia opera, v. g. devotas preces, confessionem, communionem, jejunium, elemosynam, etc. demonstranda. 3^o Ipsa S. Sebastiani imago, seu vita altari inserenda sit cum hac inscriptione: Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum: unde enarrentur, quae imitari in S. Sebastiano Auditores debeant, videlicet fidelitatem, et fervorem in servitio divino, ac mandatorum observationem, zelum, et charitatem erga salutem proximi, cui assidue succurrebat laetando, et animando ad constantiam in sustinendo martyrio, quae omnia facile ejus vita exemplificari possunt.

II. *Omnis turba querebat eum tangere.* LUC. IX. Ex occasione hujus sententiae excitari possunt Auditores ad pestem peccati vitandam, et ideo ad S. Sebastianum quoque ferventius colendum, et invocandum. Divi-

datur itaque concio in duas partes, in quarum prima ostendatur, quod peccatum velut pestis animae multo vehementius sit timendum, quam pestis corporalis, quia haec quidem facile contrahitur (*ist erblich*) cito perimit, ab omnibus amicis deserti facit, gravem cruciatum affert, quae omnia mala plus longe peccato conveniunt, ut quod etiam animam occidit; unde merito huic pesti applicari potest illud Christi dictum MATTH. X. Nolite timere, etc. In secunda parte ostendatur, cum S. Sebastianus et Deum, et homines summe semper dilexerit, atque adeo illud maxime malum avertere cupiat, quod Deo magis displicet, ejusque honorem, et amorem impedit, et hominibus magis est nocivum, quam libenter concursurus, et suum patrocinium oblaturus sit pro hac longe graviori peste avertenda, qui pro peste corporali extinguenda tam propitium, et sollicitum se praebet. Excitentur proin Auditores ad novam fiduciam, vel hoc etiam titulo erga ipsum concipiendam, variae devotionis annuae, mensurae, hebdomadariae, quotidiana pensa persolvenda. Vide titulum Peccatum.

III. *Venerant, ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis.* LUC. VI. Ex occasione hujus textus excitari possunt Auditores, ut pro peste avertenda faciant, quod David pro aversa fecit, dum scilicet, postquam misertus est Dominus super afflictionem et Angelo populum percutientem dixit: Sufficet, nunc contine manum tuam, altare extruxit, plastra hominum in usum lignorum concidit, et holocaustum obtulit I. II. Reg. c. XIV. Ostendatur ergo per tres partes, quomodo haec tria spiritualiter fieri debeant. Et 1^o quidem, quomodo plastra hominum comburenda, id est servilis labor deponendus, festusque dier instituentur ad honorem Dei et S. Sebastiani, ut sublato labore, divinis officiis vacari possit. Non vero a corporali dumtaxat, sed etiam spirituali labore abstinere, eo nempe, de quo ISA. XLIII. c. dicitur: Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Quomodo enim grata potest esse cessatio a labore, si ad peccata, et offensas Dei adhibeatur. Certe incassum per abstinentiam corpus alteritur, si inordinatis moribus mens dimissa vitii dissipatur, ut S. Gregorius in Past. recte notavit. 2^o Ostendatur, quomodo altare erigi debeat, id est, preces in Area Arcanae, seu arcae, coram Ven. Sacramento, et unanimi-

ter; tum quia sic verificatur illud Christi **MATT. XVIII.** Si duo conseruerint; tum quia sic multi minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni, et multorum preces impossibile est non audiri, ut S. Ambrosius I. de pen. testatur; tum quia sic preces de se exigue unitae cum aliis facilius acceptantur, ut nummus malus cum multis bonis, et maxime cum precibus S. Sebastiani. 3º Quomodo holocaustum offerri debeat, tum per Sacramentum Confessionis, de quo dicitur Psalm. I. Sacrificium Deo, etc. tum per Sacramentum Eucharistiae susceptum, quod est holocaustum Deo gratissimum, quae omnia facile fusius deduci possunt, et ad Sanctum Sebastianum applicari.

IV. *Gaudete, et exultate in illa die, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* **LUC. IX.** Ex occasione hujus textus potest narrari pactum Jonathanae cum Davide, et signum, quod dedit illi, gratiae apud Saulem obtenta, si scilicet puero diceret: Ecce sagitte intra te sunt. **L. I. Reg. c. xx.** et ostendi, nullum certius esse signum amicitiae, et gratiae apud Deum obtenta, quam si dici de aliquo possit: Ecce sagittae tribulationum intra te sunt. Id quod 1º probetur auctoritate S. Scripturae **Tob. XII.** Quia acceptus, etc. **H. Hebr. XII.** Fili mi, etc. **Jac. I.** Omne gaudium, etc. auctoritate **SS. Patrum;** quos vide tit. Patientia. 3º Exemplis Christi, B. Virg. et S. Sebastiani, cujus tribulationes et martyrium breuiter narretur, et inde inferatur, quam magnum oportet esse amicum Dei, quamque adeo merito invocetur pro peste auerenda. Excitentur proin Auditores ad illum novo fervore colendum, et invocandum, atque ut preces efficaciores sint, etiam imitandum in sagittis tribulationum fortiter expiendis, ut sicut socii passionum fuerint, ita et gloriae sint futuri.

V. *Beati eritis, cum vos oderint homines.* **LUC. II.** Ex cuius textus occasione ostendi potest, quam vere S. Job. c. vii. dixerit, militiam esse vitam hominis super terram, cum etiam domesticis, id est, ipsi homines ejusdem naturae participes sint inimici hominis; quam aequum proin sit, ut omnes bene certare discant id, quod a S. Sebastiano discere poterunt. Unde conio in duas partes dividi potest, et in prima ostendi, quam bene S. Sebastianus sit functus militis officio, dum duci suo Christo summe obediens fuit; hinc jussa magis illius, quam Diocletiani, implevit, usurpans illud Apostolorum **Act. V.**

Obedire oportet, etc. 2º Dum pariter summe fidus fuit, nec minis, ne promissis abduci se sineus, quae omnia ex vita demonstrantur. 3º Dum constanter usque ad finem certaminis certavit, sciens, quod nemo coronabitur, qui non legitime certaverit, et perseveraverit usque in finem. Id quod pariter ex vita demonstrandum, ita ut merito cum S. Paulo II. ad **Tim. IV.** dicere potuerit: Bonum certamen certavi. In secunda parte ostendatur, quomodo se excitavit ad hoc certamen, scilicet proponendo sibi praemium promissum; Gaudete, etc. fecit proinde, quod **David I. Reg. XVII.** quaerendo quid dabitur viro, qui percusserit Philisteum, aut Tyrannum Diocletianum vicerit, cumque audisset, quod Rex caelestis cum dabit divitiis magnis, et filiam suam, id est beatitudinem, dabit, generose eum aggressus sit, et vicerit. Unde explicetur haec magnitudo praemii, et quam S. Sebastianum roboravit, dum Deus et Ecclesia illi quasi dixerint id, quod mater Maehabeorum filio dixit: **MACCAB. VII.** Peto nate, etc. Excitentur Auditores ad imitandum S. Sebastianum fortiter certando contra persecutores homines, oppugnantes Demones, et proprias passiones velut domesticos inimicos, cumque in finem usurperit illa S. Chrysostomi sententia in 6. **Lect. diei 7.** in Octava **SS. omn. citata**, Apostoli Christi, etc. Unde tu delicatus es miles, etc. Vide tit. Beatitudo.

VI. *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* **LUC. II.** Ex hoc textu sumatur occasio demonstrandi, quomodo S. Sebastianus cum aulica, et militari vita sanctitatem conjunxit. Dicatur ergo in exordio, multa miracula fuisse a S. Sebastiano patrata, sed maximum fuisse, quod sanctitatem cum aulica, et militari vita conjunxit; hoc enim rarissimum et difficillimum esse miraculum. Postea in prima parte ostendatur, quam multa pericula in aula et militia reperiantur ad peccandum, maxime superbiae, et ambitionis propter honores; luxuriae propter feminas pulchritudine, et vestitu decoras; gulae, et ebrietatis propter abundantiam cibi et potus; avaritiae, et injustitiae propter divitias; iracundiae et severitiae propter potentiam; invidiae propter aemulos; et quomodo haec omnia pericula superavit. In secunda parte ostendatur, quo medio sit usus, scilicet quo P. Araozius e Societate Jesu Confessarius Regis Hispaniae usus est, qui interrogatus, quo medio se contra pericula aulae tueretur;

respondit, per herbam timoris Dei se illasum manere. Ostendatur ergo, quantum vim hie timor habeat ad pericula talia vitanda, et quomodo S. Sebastianus ea sit usus, ipsique etiam Auditores usurpare debeant, ut sanctitatem cum suo statu conjungant; nam quemvis in suo statu sanctum fieri posse, patet ex pluribus exemplis in vita S. Macarii apud Rosweydam narratis, ubi Deus ostendit S. Macario, illi duas uxores, et alias meretorem in meritis, et sanctitate parem esse.

PRO FESTO S. MATTHAE.

I. *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* **MATT. XI.** Ex hoc textu sumi potest occasio Auditores ad humilitatis studium excitandi. Et in prima quidem parte ostendi potest, cur Christus humilitatem ante alias virtutes a se disci voluerit, nempe quia scientia haec ante alias summe necessaria, utilissima, dignissima, jucundissima, et facilissima est; pro qua assertione demonstranda vide tit. Humilitas. In secunda parte ostendi potest, quibus mediis praecipue utendum sit ad hanc scientiam addiscendam, scilicet exemplo Christi (cum teste S. Ambrosio primus discendi ardor sit nobilitas Magistri, nec in tantum proveri possit quelibet felicitas humana, ut aestimet sibi pudeadum quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum, ut S. Leo s. de Resurr. recte advertit) et ponderatione praemii humilibus promissi; de quo vide tit. Humili. Claudatur conio memorabili sententia in cit. tit. Humilit. frustra appellatur Christiani, etc.

II. *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* **MATT. II.** Ex quo textu occasio sumi potest aliter humilitatem commendandi, dicendo scilicet, gaudere plerumque discipulos, si magistri doctrinam in compendio habere debere S. Paulo, quod in sua ad **PHILIPP. EPISTOLA C. II. V. V.** compendium doctrinae totius de humilitate proposuerit, et 1º quidem, quid sit humilitas, per illa verba: *Humiliavit semetipsum formam servi accipiens*, ostendit. 2º Quo medio utendum sit, per illa verba: *In similitudinem hominum factus*, declaravit, scilicet exemplo Christi. 3º Quis fructus inde sperari possit, per illa verba: *Propter quod exaltavit illum Deus*, indicavit. Pro quibus melius declarandis vide tit. Humilitas.

III. *Tollite jugum meum super vos jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* **MATT. XI.** Ex cuius sententiae occasione monstrari potest, cur Christi jugum, scilicet observatio mandatorum Dei, praee omnibus aliis, maxime autem pro jugo mundi, carnis, et Diaboli sit suscipiendum, ad quem finem usurpetur sententia S. Bernardi in aliquo serm. dicentis: «Mundus dicit, Ego deficio: Diabolus, Ego decipio: Christus, Ego refugio.» Ostendatur ergo in prima parte concionis, quomodo Mundus deficiat; id quod probari potest testimonio Sancti Joannis I. c. n. Nolite diligere mundum, etc. deinde experientia Salomonis de se fatentis **Ecc. II. c. xi.** Cumque convertissem, etc. et tandem exemplo narrato a Discipulo Litter. M. ex 78. quod scilicet mundi gloria apparuerit nobili cupiam in specie mulieris secundum anteriorem partem speciosae, secundum posteriorem vero plene veribus, putredine, immunditia; cuique interrogata, quae essent, respondisset: «Ego sum gloria mundi, et hi sunt fructus mei.» Nobilis detestans hanc, vanitati saeculi renuntiavit. In secunda parte ostendatur, quomodo caro inficiat, corpus quidem assimilando bestiis, destruendo sanitatem, accersendo mortem, et poenas gravissimas in hac vel altera vita: anima vero per maculam peccati, fama quoque immunitatem, quae nulla re magis, quam per carnis delicias amatas leditur. In tertia parte ostendatur, quomodo Diabolus decipiat, promittendo bona fictitia, et inania pro veris, fluxa, et momentanea pro perpetuis, et promittendo tantum, non exhibendo, uti in exemplo Christi per Demoneum tentati fusius ostendit **Faber Dom. I. Quad. conc. II.** In quarta tandem parte ostendatur, quomodo Christus reficiat, quoad corpus, dum nihil deesse patitur sequentibus se, uti Apostoli testati sunt, et experti: animam vero requie, et consolationibus caelestibus, et praecipua sua dilectione, uti S. Bernardus in jubilo testatur, canens: «Tua Jesu dilectio, grata mentis refectio.»

IV. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* **MATT. II.** Ex hujus sententiae occasione ostendi potest, quomodo Christus reficiat, scilicet triplici modo: 1º *Adjuvatio suo*, seu gratia: Ipse enim est vitis, nos palmites, **Jo. XV.** Unde sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi per Christi gratiam. Unde recte quidam ex **SS. Patribus**

ait: « Qui mihi est Auctor, ipse erit administrationis adiutor, et ne sub magnitudine sarcine succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. » Hinc S. PAULUS I. COR. xv. cum dixisset, se plus omnibus laborasse, mox addit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum; unde sic animatus est: ut dixerit IV. PHILIP. v. m. se omnia posse in eo, qui se confortat. 2º *Exemplo suo*. Ita quondam S. Gertrudi ostendit, dum visus est illi per viam spinosam suos ducere, sed prius sua cruce spinas, id est, difficultates removeret. Hinc SOPHON. III. v. ix. promisit, se offerendum, ut serviat et populus suus in humero uno, quia scilicet altera pars iugum tamquam principatus factus est super humerum ejus. ISAIE IX. v. iv. Si ergo proceribus Abimelech JUB. IX. facile fuit ramos de arboribus resecare, et domum ferre, quia ipsum ducem ducentem audiverunt. Quod me videritis facere, et vos facite. Si milites Alexandri Magni per medias nives, et prærupta montium alacres perrexerunt, quia ducem præeuntem viderunt, quidni idem potiori jure exemplum Christi efficiat? Certè ob hanc causam Sponsa CAN. I. v. XII. Fasciculum myrrhæ, non fascem gravem, vocavit dilectum suum. 3º *Solutio suo*. Sicut enim homines iuga mollium pannis fulciuntur, ne nimium lædant, aut gravent, ita Christus jugum servis suis imponi solum consolationibus suis fulcit. Hinc S. David Ps. XCIII. ait: Secundum multitudinem dolorum, etc. et S. Paulus II. COR. VIII. v. iv. Repletus sum consolatione, etc. ut adeo verus Christus de suis legibus, quam M. Aurelius Imperator de suis dicere possit: « Leges meæ tum iuga sunt, sub quibus mali arant: tum alæ, quibus bono volitant, et libero celo fruntur. » Excitentur proin Auditores, ut jugum hoc tollant alacriter, et portent constanter ut in hac et altera vita relicti mereantur. Vide tit. Exemplum, et tit. Christus.

V. *Discite a me quia mitis sum*. MATTH. II. Ex hujus sententiæ occasione dici potest, esse consuetudinem aut legem in aliquibus Academicis, ut singuli discipuli duas lectiones audire cogantur. Eundem morem servare Christum; hinc duras lectiones præscripsisse, humilitatem, et mansuetudinem: de quarum priore quia alias dictum, nunc posteriorem commendandam. Dividatur ergo concio in duas partes, et in prima quidem ostendatur, quomodo mansuetudo sibi exercenda, præcipue 1º in *conversazione*, exemplo Christi, de

quo S. Bernardus ser. in Cœna Dom. ait: « Jesu erat dulcis in voce, dulcis in facie, dulcis in opere. » Hinc Sponsa Cant. IV. de ipso ait: Favus distillans labia tua, etc. 2º in *contradictione seu persecutione*, ut non respondeatur dure; nam servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, teste PAULO II. TIM. II. Responso enim mollis frangit iram. PROV. XV. v. I. ut Abigail exemplo suo docuit. I. REG. XV. 3º in *correctione*, juxta monitum D. Pauli GAL. VI. v. I. Fratres, si præoccupatus, etc. Hinc præclare S. Augustinus tract. 7. in Epist. S. Joannis ait: « Breve ubi præceptum proponitur: Dilige, et fac, quod vis. Radix sit intus dilectionis, non potest de illa nisi bonum procedere. » Vide hic plura tit. Mansuetudo, et tit. Dilectio proximi. In secunda parte ostendatur, quale præmium sperare possint Discipuli Christi, qui lectionem mansuetudinis diligenter didicerint, scilicet illud, quod Christus MATTH. V. v. IV. promisit dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, quadruplicem scilicet, quam dicto tit. Mansuetudo vide explicatam, ubi etiam plures conceptus de hac materia reperies.

VI. Ex occasione thematis: *Discite a me quia mitis sum*, MATTH. II. ostendendum est, cur Christus pro Magistro eligendus, et audiendus. Nempe 1º Quia est artis, quam docet, peritissimus, ut pluribus exemplis docuit. 2º Quia est etiam paratus docere, ut qui ultro invitat ad scholam; et pariter multis in vita iudiciis populum docendo probavit. 3º Quia habet facilem modum docendi, ut Thom. Kemp. I. III. c. XLIII. in Persona Christi ostendit dicens: Ego sum, qui humilem in puncto elevo mente, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si decem annis studuisset in scholis. Si ergo juxta S. Ambrosium primus discendi ardor nobilitas est Magistri, facile patet, quanto cum fervore hic Magister audiendus sit, illaque pii Ascetæ verba I. II. c. II. ad eum dicenda: Loquere, Domine, quia audit servus tuus, etc.

VII. Ex ejusdem thematis occasione declarari possunt conditiones discipuli, quarum prima est a Christo ipso LUC. C. XIV. indicata: Nisi quis renuntiaverit omnibus, que possidet, non potest meus esse Discipulus. Secunda, ut diligenter auscultet Magistrum loquentem verbo, aut exemplo, ejusque doctrinam magni æstimet, serio ponderet, et praxim illius bene addiscat. Tertia, ut assidue lectionem præscriptam repetat, in eaque

se exerceat. Quarta, ut sæpius se super eandem reflectat, et quantum profecerit, vel defecerit, se examinet. Quinta, ut gratiam divinam frequenter et ferventer imploret; de quibus vide tit. Humilitas.

VIII. Ex occasione thematis: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, ostendi potest veritas sententiæ a Thom. Kemp. I. I. cap. II. prolata. Hæc est altissima ut utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio, et despectio; ostendendo, quod humilitas sit efficacissimum medium ad triplicem viam perfectionis, purgativam scilicet, illuminativam, et unitivam, celeriter decurrendam: vel ad triplicem finem, gloriæ divinæ, propriæ, et alienæ salutis, obtinendum; pro quibus conceptibus deducendis videri potest tit. Humilitas.

IX. Ex eodem themate occasio sumi potest, media ad veram humilitatem acquirendam demonstrandi, quorum potissimum est cognitio sui, uti docuit senex, qui questus, quomodo humilitas obtineri possit, respondit: « Si sua tantummodo, et non aliena mala quis consideret. » Quod ipsum etiam S. Basilium confirmavit dicens: « Tria sunt, que radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et ponderatio rei melioris; » de quibus vide citat. tit. Humilitas.

X. Ex occasione thematis: *Et invenietis requiem animabus vestris*, MATTH. II. ostendi potest, quomodo humilis triplicem requiem inveniat, scilicet cum Deo, qui dat humilibus gratiam, eosdem specialiter amat, et fovet: cum proximo, qui humilem singulariter æstimat, et amat, unde sicut inter superbos sunt semper jurgia, ita inter humiles pax et concordia viget: secum ipso, quia hoc ipso, quod honores, et gloriam hominum non appetat, ab omnibus sollicitudinibus, et motibus, quibus ambitiosi inquieti redduntur, liber est. Vide tit. Humilitas.

XI. Ex occasione sententiæ: *Discite a me, quia mitis sum*, ostendi potest, quam mansuetus fuerit Christus, uti tit. Mansuetudo videre est, et ex actibus indicatis ulterius probari potest. Unde inferatur, hanc virtutem præ aliis decere Christianum, uti Sanctus Chrysostomus indicavit, dum accepto a Sani Præfecto colapho dixit: « Repercussissem, nisi Christianus essem. »

XII. Ex occasione thematis: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*, MATTH. II. ostendatur, per que media jugum Christi

leve efficiatur, nimirum per gratiæ comparationem; hinc S. Paulus dixit: Omnia (facile) possunt in eo, qui me confortat. 2º Per suum exemplum, et Sanctorum, imo filiorum sæculi, nihil enim difficile æstimatur, quod jam ab alio factum conspicitur. 3º Promissione præmii, de quo sic loquitur S. Chrysostomus: « Si nautis minaces pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si gravissimi ictus plagæque pugilibus leves videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium honorum, multo magis, cum cœlum proponatur pro præmio, nihil ex adversitatibus his presentibus sentiantur. » Vide tit. Exemplum et Beatitude.

PRO FESTO S. JOSEPHI.

I. Ex occasione thematis: *Joseph autem vir ejus cum esset justus*, MATTH. I. potest ostendi, in quo justitiam exercuerit S. Josephus, scilicet in hoc, quod cuique jus suum tribuerit, Deo debito obsequium, per impletam perfectæ ejus voluntatem: proximo, pro laborem fabricilem in ejus utilitatem susceptum, et Christum Servatorem sollicite nutritum, et custoditum: sibi ipsi, dum animæ suæ salutem studiose procuravit; unde excitentur Auditores ad justitiam hanc, pro viribus procurandam, simulque fructus hujus justitiæ ostendatur demonstrando, quod in eo impleta sit sententiæ Salomonis SAP. C. VIII. Si justitiam, quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem; ante mortem, quia quærenti justitiam teste Christo, omnia necessaria adjiciuntur; in morte, quia non contristabit justum, quidquid ei acciderit, atque adeo neque mors ipsa; post mortem, quia justus in perpetuum vivet, et apud Dominum est merces eorum.

II. Ex ejusdem textus occasione ostendi potest, quod S. Joseph non immerito patronus eorum, qui vitam occultam degunt, dicatur, quia sanctitas ejus vere occulta erat. Itaque in prima parte declaratur, quid sit vita, et sanctitas occulta, scilicet ut opera privata, que extra conspectum hominum sunt, magna cum diligentia ad Dei honorem peraguntur, et generose quadam de seipso victoriæ soli Deo notæ reportentur. In secunda parte ostendatur, quem fructum ex hac vita occulta reportaverit, quod scilicet cum

Christo, aetate non materiali dumtaxat, sed etiam spirituali (de qua S. Gregorius dixit: «Vite Christianae dies sunt virtutes singulae, menses autem multiplicia facta virtutum») sapientia, seu sapida cognitione Dei, et gratia apud Deum, et homines profecerit. Unde Auditores ad imitationem excitandi.

III. Ex eodem themate deduci potest, Josephum ita se omnibus divinae voluntati conformasse, ut merito Deus de illo dicere potuerit: Inveni Joseph virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas, i. e. semper faciat, quae volo, et quomodo volo, et quia volo. Unde et ulterius de eo dicere potuit: Oleo sancto meo (letitiae) unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortavit eum. Quos effectus etiam Auditores sperare possunt, si cum eodem viri secundum cor Dei esse student.

IV. Ex eodem themate sumatur occasio Josephum cum Josepho Aegyptiaco comparandi, praecipue in tribus. 1º In convenientia nominis, quod idem significat, atque augmentum Dei, vel Filius accrescens in gratia, et gloria, in qua juxta Suarez et alios omnes Sanctos praeter B. Virginem superavit. 2º In virtutibus, praecipue in castitate et patientia, in qua utraque excellit Joseph Prorex, sed magis S. Josephus. 3º In officio, et fidelitate, quia domum summi Regis, id est familiae Christi, summa cum sollicitudine administravit. Quare excitentur Auditores, ut dictum sibi in necessitatibus suis putent: Ite ad Joseph: magnaque ad eum cum fiducia confugite.

V. Ex eodem themate potest ostendi pretium, et utilitas laborum corporalium propter Deum susceptorum, cum S. Josephus potissimum vite partem in laboribus corporalibus consumperit, et tamen ad tantam gloriam evectus sit, ut merito dicere potuerit: Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. Ostendatur ergo quomodo S. Josephus labores suos peregerit, quid ante, in, et post illos egerit. Vide tit. Labor.

VI. Ex occasione thematis: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph*, MAT. c. 1. possunt Maria et Joseph in speculum conjugibus proponi, et ostendi. 4º Quomodo in desponsatione se gerere debeant, voluntatem divinam sedulo indagando. 2º In conjugio, amorem conjugalem, concordiam et fidelitatem exercendo. 3º Post conjugium, in morte

conjugis modice deplorando, honeste, et pie sepeliendo, copiosis, et efficacibus suffragiis succurrendo. De quibus vide Fabrum Dom. 2. Epiph. conc. 3. et tit. Matrim.

PRO FESTO ANNUNTIATIONIS.

I. *Ave gratia plena: Dominus tecum*. LUC. 1. Ex occasione hujus textus ostendi potest, quomodo B. Virgo vere fuerit gratia plena, uti demonstrari potest tum testimoniis SS. Patrum tit. Hyperdulia Mariana, tum ex titulis et fontibus, ex quibus haec plenitudo processit, quos vide l. c. Unde Auditores ad fiduciam et venerationem excitandi, cum passim videamus, eos qui multa a Rege impetrare cupiunt, ad illos maxime confugere, quos Regi magis gratos esse cognoscunt. Vide loc. cit.

II. *Spiritus S. superveniat in te*. LUC. 1. Ex cuius textus occasione demonstrari potest, quod B. Virgini contigerit, quod Esther olim evenit; nam et ipsa per aliquot annos praeparata erat in templo, et inde praereliquis placebat Spiritui S. ab eoque in sponsam accepta est, ex quo dignitas incredibili et exorta, quae explicanda, et probanda est ex titulo Filiae Patris, Matris Filii, et Spiritus S. Sponse. Unde excitandi Auditores ad amorem, cultum, et fiduciam; pro quibus vide l. c.

III. *Ecce concipis in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum*. LUC. 1. Ex cuius textus occasione dici potest, etsi videri possit, B. Virginem tantum esse factam Matrem Christi, vere tamen etiam factam esse Matrem nostram, cum hoc ipso, quod Christum Servatorem genuerit, etiam nos regeneraverit; unde Christus hoc die, nempe 25. Martii, etiam pati, et in cruce dicere voluit: Ecce Mater tua. Ostendatur ergo in prima parte, quam perfecta materna officia generando, alendo, protegendo, hereditatem aeternam procurando exercuerit. In secunda vero parte ostendatur, quomodo vicissim officia Filii amando, confugiendo, honorando exercere debeamus; pro quo vide tit. Hyperdulia Mariana et ibi passim.

IV. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. LUC. 1. Ostendi potest, quam vere officium fidelis, et humilis ancillae impleverit B. Virgo, ita ut de ea verius, quam de Davide Psalm. LXXVIII. v. XXI. dicere potuerit Deus: Inveni, etc.

qui faciat omnes voluntates meas, faciendo semper, quae voluit, juxta notum illud distichon,

Omne tulit punctum, patitur qui semper agitur.

Quae vult, quoque modo vult Deus, et quia vult.

In secunda parte ostendatur, quomodo B. Virgo sicut cum Davide fidele Deo servitium praestitit, ita simile quoque premium obtinuerit, nempe quod Deus oleo sancto unxerit eam manu sua, auxiliatus sit illi: et brachio suo confortavit eam; quae omnia vide tit. Resignatio.

V. *Benedicta tu inter mulieres*. LUC. 1. Ex hujus textus occasione demonstrari potest, quod, sicut Deus voluit B. V. eligere in Matrem Filii, atque adeo in reparatricem secundariam salutis nostrae, ita etiam per illam velut praecipuum post Christum instrumentum exequi voluit redemptionis, et praedestinationis nostrae beneficium, et nullam gratiam conferre, nisi per ipsam, ita ut merito collo in Ecclesiae corpore comparetur, per quod ex Christo velut capite omnes gratiae descendere debent in reliqua membra. Unde S. Bernardus serm. in Nativ. Virg. ait: «Ex hoc beatam te dicent, etc.» vide tit. Hyperdul. Marian. S. Germanus serm. de Zona B. V. «Nullus est, qui salvus fiat, etc.» ibid. In secunda parte ostendatur, quomodo idipsum in praxi semper sit observatum, ita ut, sicut olim Pharaon GEN. VI. dixit subditis aliquid petentibus: Ite ad Joseph; ita nunc dicatur Christianis aliquid petentibus: Ite ad Mariam; ad quem finem servire possunt plurima exempla cit. tit.

VI. *Fiat mihi secundum verbum tuum*. LUC. 1. Ex hujus textus occasione ostendatur, quod hoc fuerit symbolum B. Virginis, in prosperis aequae ac adversis usurpatum, id quod totam ipsius vitam percurrere facile probari potest. In secunda vero parte ostendi potest, quod per et propter haec verba opere completa facta sit Mater Dei, atque adeo etiam Regina caeli; si enim juxta Senecam, Rex est, qui metuit nihil; Rex est, qui cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat; merito B. Virgo praer omnibus hominibus Regina dici potuit, ut quae praer omnibus nihil cupierit praeter Deum, ita ut cum ESTHER c. XIV. v. XVIII. dicere cum veritate potuerit: Tu scis, quod nunquam latata sit ancilla tua, nisi in te Domine, Deus Abra-

ham. Deinde vero etiam timere nihil, quia cum veritate applicare poterat illud S. Chrysostomi: «Quid timeat homo in sinu Dei positus; tu de sinu ipsius noli cadere, et omnia, quae tibi evenerint, in bonum cedent; vere enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.» ROM. VIII. v. XVIII. unde dicebat cum S. Paulo loc. cit. Quis me separabit, etc. Excitentur proinde Auditores, ut cum servire Deo regnare sit, et hoc regnum sibi quisque det, ipsi quoque veri Reges fieri studeant, assumendo B. Virginis symbolum, *Fiat mihi, etc.* eumque in fidem B. V. rogent, ut quemadmodum Bersabea Salomonis Filio impetravit regnum l. III. Reg. c. 1. ita et ipsa gratiam saltem impetrare dignetur, qua regnum hoc nobis ipsi dicto modo procurare, sique ejusdem velut verae Reginae veri Filii, et regni quoque caelestis participes fieri possimus.

VII. Ex occasione thematis: *Ave gratia plena*, potest dignitas, et plenitudo gratiae demonstrari, quam B. V. accepit per et propter maternitatem, ita ut Suarez probaverit, eam in primo instanti conceptionis omnes Angelos et homines collective sumptos superasse, et hanc gratiam singulis momentis duplicasse. Unde Auditores ad eam condigne aestimandam, et honorandam excitentur. Pro quo conceptu vide tit. Hyperdulia.

VIII. Ex occasione thematis: *Benedicta tu inter mulieres*, ostendi potest, cur benedicta merito dicatur, nimirum primo, quia Mater Dei est. Secundo, quia Mater viventium. Tertio, quia Mater defunctorum. Unde excitandi Auditores, ut tamquam Matrem Dei magni faciant, et peculiari cultu venerentur, tamquam ad Matrem suam singularem semper fiduciam gerant, et tamquam Matrem defunctorum illis per varias preces, et obsequia conciliare nintantur. Vide cit. tit.

IX. Ex occasione thematis: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*, ostendi potest, quam nullam habeat causam timendi, qui gratiam apud Deum invenit, ut qui dicere possit cum S. Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ostendatur ergo in specie, quomodo non timere audeat Deum, homines, Diabolos, sed merito illud S. Chrysostomi sibi applicare possit: «Quid timeat homo in sinu Dei positus? Tu de sinu ipsius noli cadere, et quicquid tibi illic evenierit, in bonum cedet.»

X. Ex occasione thematis: *Ecce Ancilla Domini*, potest ostendi, quomodo B. Virgo

se ut ancillam vilissimam, et omni bono indignam reputarit, vilissimis in officiis se constanter exercuerit, et nihil sibi attribuerit ex laboribus, et operibus suis, sed omnia Deo lucrata sit, ab hominibus despectum, et injuriam illam patientissime tulerit; unde inferatur, cum nos filii simus hujus Ancillae, et partus sequatur ventrem juxta juristas, æquissimum esse, ut nos quoque cum ea non tam verbis, quam opere per illius imitationem, dicamus: Ecce mancipium Domini.

XI. Ex occasione thematis: *Benedicta inter mulieres*, potest institui comparatio inter illam et Evam, quod scilicet sicut Eva per inobedientiam Mater mortientium, sic Maria per obedientiam Mater viventium, sit facta, et ideo merito benedicta dicatur; unde hortandi Auditores, ut eam et ipsi non tam verbis, quam operibus benedicant, quod fiet, si omnia sua opera post Dei gloriam ad honorem ipsius referant, et hac ipsa de causa cum magna diligentia, et perfectione absolvere conentur. Vide tit. Hyperdulia.

XII. Ex occasione thematis: *Ave gratia plena*, potest B. Virgo Estheri comparari ob quinque titulos, scilicet pulchritudinem, gratiam apud Deum, liberationem populi Christiani, dimidium regni (id est misericordiam) non promissum dumtaxat, sed collatum, ob duas ancillas, Angelicam et humanam; unde excitandi Auditores, ut ad ipsam perinde ut Judææ ad Estherem confugiant, et liberari ab interitu petant.

XIII. Ex occasione thematis: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, potest in primis ostendi, quid involvant hæc verba, scilicet, ut quis semper faciat, quæ vult Deus, quod modo vult, et quia vult, scilicet propter solum ipsius beneplacitum. Demonstrari potest efficacia horum verborum, eo quod ad illorum prolationem Christus incarnatus sit, et vero etiam nunc in mentibus eorum, qui ea cum veritate proferunt, spiritualiter incarnatur, id est moraliter cum homine uniat, ita ut dicere possit cum S. Paulo: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.

PRO FESTO S. GEORGI.

I. *Manete in me, et ego in vobis*. JOAN. XV. Potest ostendi quod S. Georgius merito dicatur Eques, eo quod habuerit omnes conditio-

nes ad verum equitem requisitas. Nam I fuit *nobilis* non profana, et falsa, sed vera nobilitate, de qua S. Bernardus dixit: «Sola vera nobilitas est, clarum esse virtutibus.» Unde explicentur potiores illius virtutes, præcipue fides, spes, religio, prudentia, temperantia, et similes. Fuit *miles* fortiter certans contra Tyrannum et Dæmonem, qui per Draconem illi appingi solitum intelligitur. Fuit *Gestavit* in pectore torquem aureum, et in eo pendentem Christum crucifixum, quia a morte Christi omnia promissa, et minas Tyranni generose contempsit, dicens, cum S. Paulo Rom. VIII. In his omnibus superamus, etc. et, Quis me separabit, etc. Excitentur proin Auditores, ut ob oculos habeant S. Augustini serm. XLVII. de Sanct. sententiam: Quotiescumque, etc. vide tit. Sanctorum cultus, et ostendatur, quomodo S. Georgium imitari debeant in patientia præsertim, et certamine contra Dæmones, etc.

II. *Sine me nihil potestis facere*. JOAN. XV. Dicatur, querere aliquos, cur S. Georgius in equo cum lancea Draconem perimens proponatur; ad quam questionem varii respondeant; optimam autem videri, quod Ecclesia velit, ut aspiciamus hoc exemplar, et imitetur illud, perimendo Draconem toti humano generi nocentissimum. Quis autem hic Draco sit, et quomodo ad exemplum S. Georgii superandus, et occidendus, in hac concione dictum iri. In prima ergo parte ostendatur, quod Draco iste non alius sit, quam ira, cum sit *torva* aspectu, uti in iratis patet: *insperato invadens*, cum irati, ubi minime timebatur, invadant: graviter nocens bonis fortunæ, corporis, animæ, uti patet exemplo Herodis innocentes occidi jubentis, aliorumque Tyrannorum, maxime autem illius Itali, qui inimicum suum cum in terram prostravisset, primo mortem minatus est, nisi Deum, et sanctos abnegaret, qua abnegatione facta, mox gladium cordi ejus infixit, et postea etiam sibi ipsi, ut statim cum ipso in infernum descendere, et æternum cruciare posset. In secunda parte ostendatur, quibus mediis Sanctus Georgius Draconem interemerit, scilicet equo, et lancea; per equum intelligitur gratia divina, juxta illud Thomæ Kemp. lib. II. c. ix. Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Hac merito illud Salomonis Sap. VIII. Scio, non possum esse continens (etiam ab ira) nisi Deus det, et illud Christi JOAN. XV. Sine me nihil potestis facere. Per lanceam ferro munitam intel-

ligatur serium propositum abstinendi, quia teste Thomæ Kemp. l. I. c. XIX. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri, etc. ubi narrari potest exemplum illius domini, qui, ubi famulum suum ad iram summe pronum advertit, ob paucos nummos promissos tam facile ab ira abstinnisse; quod cum vidisset etiam ipse sibi emendationem quoad hoc vitium possibilem judicavit, et manum adhibuit. Vide plura, tit. Iracundia.

III. *Manete in me, et ego in vobis*. JOAN. XV. Ostendi potest quomodo illa tria erga S. Georgium observare debeamus, quæ S. Bernardus in festivitibus Sanctorum consideranda esse dixit, nempe auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram; quam sententiam vide tit. 128. in quo loco etiam reliqua ad conceptum hunc dilatandum opportuna reperuntur.

IV. *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum*. JOAN. XV. Ostendi potest quomodo manere debeamus, si scilicet ei uniamur per fidem, firmiter credendo, quidquid revelavit: per *spem*, sperando firmiter, quod promisit, nempe se mansurum nobiscum usque ad consummationem sæculi: per *charitatem*, omnia ex amore illius faciendo, et tolerando juxta illud. I. Cor. x. Sive manducatis, etc. Hinc sponsæ Cant. VIII. dixit: Pone me ut signaculum. Deinde ostendatur, quem fructum sperare possimus, si in ipso maneamus dicto modo, nempe augmentum gratiæ, gloriæ, et lætitiæ internæ, qui omnes fructus facile dilatarî possunt, si inspiciantur tit. Beatitudo, tit. Pax, et Conscientia.

V. *Ego sum vitis, vos palmites*. JOAN. XV. Ex occasione hujus textus excitentur Auditores ad spem in Christo ponendam ob tria incitamenta spei a S. Bernardo serm. III. de septem panibus assignata; dum dixit: «Tria considero, in quibus spes mea tota consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, et potestatem redditionis;» de qua vide tit. 133. uti et reliqua per probatione.

VI. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*. JOAN. XV. Potest ostendi, quomodo semper obtinere possint, quod volunt, si scilicet maneat in Christo. Unde in prima parte demonstrari potest, quid sit manere in Christo, nempe unum cum illo velle, et nolle: id quod tam per prosperos, quam adversos casus probari potest. In secunda parte ostendatur, quomodo talis, omnia, quæ

petit obtineat, quia nihil aliud petit, quam quod placet Deo dare, hoc autem semper obtinere possit juxta illud. Vide tit. 148.

VII. Ex occasione thematis: *Manete in me, et ego in vobis*. JOAN. XV. ostendi potest, quomodo S. Georgius manserit in Christo, ut qui tot, tantaque tormenta pro eodem sustinuerit, ut jure merito dicere poterit cum S. Paulo: Quis me separabit a charitate Christi? Excitentur proin Auditores ad Christianam hanc fortitudinem pro viribus imitandam. Quem in finem vide tit. Fortitudo, et Patientia.

VIII. Ex occasione thematis: *Ego sum vitis, vos palmites*, ostendi potest, quomodo vitis sit Christus; id quod ex vino ab hac vite producto probari potest, nimirum ex sanguine pretioso, per quem Angeli, et homines lætificantur, confortantur, inebriantur: qui tres effectus fusius explicari possunt, simulque Auditores invitari ad hoc vinum bibendum per illa verba: Venite, inebriamini, charissimi, bibite vinum quod miscui vobis. Vide Fabrum in hoc Festo conc. I. n. 2. lit. O.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum homines sint paluites hujus vitis, eosdem suo tempore circumcidi per mortificationem oporteat: demonstratur propterea modus hanc circumcisionem seu mortificationem instituendi; de quo vide tit. Mortificatio.

X. Ex themate: *Sine me nihil potestis facere*, dicatur, S. Georgium plerumque ut equitem cum dracone pugnantem, et per hoc S. Margaritam liberantem, pingi, ut indicetur nobis, quomodo ad illius exemplum contra draconem ferocissimum, scilicet peccatum pro anima nostra liberanda, cum lancea generosæ fortitudinis pugnare debeamus; unde in prima parte fiat comparatio peccati cum dracone. In secunda parte ostendatur dignitas, et pulchritudo animæ, quæ merito excitare debet, ut libenter pro ea pugnemus. In tertia parte ostendatur, quam convenienter lancea cum fortitudine comparetur, et quomodo usurpanda sit. Pro quibus dilatandis vide tit. Peccatum, Anima, ac Fortitudo.

XI. Ex occasione thematis: *Sicut dilexit me Pater, ego dilexi vos*, ostendi potest, quod, sicut Pater dilexit Filium suum deputando ad mortem corporalem; ita diligat Christus suos deputando ad mortem, et martyrium spirituale, per patientiam, et mortificationem: explicetur propterea, quam vere

dicantur hæc duæ virtutes martyrium spirituale, et quomodo fructus, et privilegia Martyrium, scilicet consolationes, liberationem a purgatorio, laureolam Martyrium, participet. De quibus vide Fabrum in hoc Festo conc. v. n. 2. et 6. ac 7. Item tit. Mortificatio.

XII. Ex occasione thematis: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum*, ostendi possunt fructus, quos percipiunt ii, qui per charitatem in Christo manent: quorum primum est meritum celestis præmii: secundus satisfactio pro peccatis, et liberatio a purgatorio: tertius impetratio variarum gratiarum, et donorum celestium: quartus ædificatio, et salus proximi; de quibus vide Fabrum conc. vii. n. 3.

XIII. Ex occasione thematis: *Si quis non manserit in me, mittetur foras*, ostendi possunt mali fructus peccati mortalis, quod scilicet 1º Mittatur foras, seu separatur a Deo, sicut palme a vite. 2º Arescat, seu nullum fructum bonorum operum ferat. 3º Colligatur a Demonibus, quorum potestati traditur. 4º In ignem inferni mittatur. 5º Ardeat in eodem igne. Qui omnes fructus fusius explicati videri possunt apud Fabrum conc. iii. tota. Vide etiam tit. Peccatum mortale, et Infernus.

PRO FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

I. *Ego sum via, veritas et vita*. JOAN. XIV. Sumatur exordium a consuetudine arbores maiales erigendi, et dicat Concionator, se duas arbores in Auditorum memoria erecturum, scilicet SS. Apostolos Philippum, et Jacobum, utpote qui sicut arbores maiales erant decorticati, et liberati ab omni affectu mundano, alii propter perfectionem, et dignitatem Apostolicam, de qua S. David Ps. LXIII. dixit; Nimis honorati, etc. et in suprema parte *virentes* zelo Apostolico alienæ salutis agendæ; hi ergo statuendi cum epigraphæ: Aspice, et fac secundum exemplar præcipue in Christo sequendo, et vocatione implenda. Unde 1º ostendatur, quid sit sequi Christum, scilicet abnegare seipsum, et tollere crucem suam, abstinere, et pati; unde antiqui etiam Philosophi sapientiam in duobus verbis: Abstine, et sustine ponebant; hinc, teste S. Augustino, Daemon duplicem contra nos aciem educit, blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Nec propterea exigitur, ut omnes

statum suum deserant, et divitias, ac uxores relinquunt, sed tantum ut sequantur doctrinam, et consilium Apostoli in CORINT. VII. Reliquum est, ut, et qui habent, etc. atque adeo unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 2º Ostendatur, quomodo sequi debeant, nempe 1º *vere*, id quod pauci faciunt, teste Thoma Kemp. lib. II. cap. II. Multi Jesum sequuntur, etc. aliter Apostoli, qui in adversis æque, ac prosperis adhererunt Christo, ut patet, et expostio; nam ut recte S. Augustinus in PSAL. XXVI. ait: Nemo, etc. vide tit. 22. hinc aliqui discrimen inter veros, et falsos Christianos esse aiunt, quod est, inter cereos veros ex aromatibus, et inter falsos ex pulvere factos; quorum hi igni applicati ignes evomunt, illi bonum odorem exhalant, et splendorem gratum emittunt. 2º Sequi debent *celeriter*, ut Apostoli, qui statim, omnibus relictis, secuti sunt eum; si enim Principes non ferunt tarde exequentes mandata, quanto minus Christus. Hic certe, si ulli, locum habet illud Sancti Ambrosii: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; et illud THREN. III. Bonum est adolescenti, etc. et civi homini, bonum ad augendum meritum, et promovendum profectum, et ad facilitandum obsequium; quod experta virgo, quæ Christo relicto ad portam vocata se contulit; de qua vide tit. 3º *Constantiter* sequi debent, ut patet ex maiali arbore, in qua præmium propositum non acquirit, nisi qui apicem attingit. Vide plura de hoc tit. Perseverantia; et ostende, quomodo Apostoli usque ad mortem secuti sint, ita ut ipse Christus LUC. XXII. dixerit: Vos estis, qui permansistis. etc. Excitentur ergo Auditores, ut has arbores maiales frequenter aspiciant, et se animent illis Thomæ Kemp. verbis lib. III. de imit. cap. LVI. Domine Jesu, etc. Vere vita boni Monachi, etc. et Christiani, etc. Eia fratres, etc. ut audiamus et nos. Vos estis, etc. et Olim etiam: Venite benedicti, etc.

II. *Non turbetur cor vestrum*. JOAN. XIV. Ostendi potest, quomodo turbari non debeant in variis occasionibus, sed sicut sol, licet foris obnubilatus, intus serenus manet, ita et ipsi in tribulationibus se habeant. Declaratur ergo quod 1º turbari non debeant ob iudicia Dei tam mirabiliter omnia disponentis, sed cogitent sibi a Deo dici illud CHRISTI JOAN. XIII. Quod ego facio, nescis modo, scies autem postea in die iudicii. 2º Ob iudicia hominum:

quibus satisfacere impossibile, ut patet in Deo, S. Paulo, et aliis. 3º Ob alienos defectus. 4º Ob tentationes Diaboli: sed potius iuxta monitum S. Jacobi cap. I. Omne gaudium existiment, etc. 5º Ob tribulationes occurrentes: cum omnia fiant ad triplicem finem. Vide tit. Tentatio, et tit. Crux.

III. *In domo Patris mei mansiones multe sunt*. JOAN. XIV. Ostendi potest, quod, licet hæc doctrina videatur contraria parabola de patre familias æqualem mercedem operariis offerente, revera tamen contraria non sit, cum illa de substantiali tantum beatitudine, et sententia hæc de accidentalibus loquatur, in qua diversis fore homines patet ex testimonio S. Pauli I. COR. XV. Alia caritas solis, etc. unde, quia cum Discipulis Christi quaerent utique Auditores: Quis putas major est in regno caelorum? Dicit Concionator, se in hac concione ostensurum, 1º Itaque pronuntiet, majores fore *humiles*: uti Christus MATT. XVII ostendit; de quo vide tit. Humilitas. 2º *Tribulatos*: sicut socii passionum, etc. II. COR. I. de quo vide tit. Crux. 3º *Fideliores* in talento impendendo, uti probat parabola de diversis talentis MATT. XXV. nempe, spectaculum facti sumus. I. COR. IV. non refert, quam personam habeamus, sed quam bene; unde S. Macarius, qui per plurimos annos in eremo cum summo rigore vixerat, cum scire cuperet, cui in meritis similis esset, jussus est Alexandriae duas mulieres conjugatas querere, quibus similis esset, etc. Animentur ergo Auditores, ut unusquisque in statu suo permaneat, et illud ECCL. II. Confide in Deo, et mane in loco tuo, etc. ob oculos habeat, et personam suam bene agere studet, ut audiat illud Christi. MATT. XXV. Euge serve bone, etc.

IV. *Non turbetur cor vestrum*. JOAN. XIV. Ex occasione textus hujus utiliter ageretur de scrupulis, quibus plurimi homines subiecti sunt. Et 1º quidem ostendi potest, quid sit scrupulus, et quæ illius indicia. 2º Quam noxi sint tales scrupuli, utpote qui impediunt gloriam Dei, meritum proprium, pacem, et letitiam animi. 3º Quibus mediis curandi, nempe oratione, contemptu, obedientia: de qua materia vide Instructionem meam quintam.

V. *Non turbetur cor vestrum*. JOAN. XIV. Pari utilitate possunt aliqui scrupuli in specie, a quibus plurimi homines multum vexantur, proponi. 1º Itaque proponantur scrupuli in confessione occurrere soliti; de quibus

vide cit. Instruct. 5. 2º Scrupuli ex tentationibus orti; de quibus vide loc. cit. 3º Scrupuli ob orationem occurrentes; de quibus vide loc. cit.

VI. *Ego sum via, veritas, et vita*. JO. XIV. Proponi possunt motiva ad Christum sequendum per imitationem, et modus imitandi, nempe 1º Quia via est, id est, qua verbis, qua exemplis docuit nos ad cælum, id quod ostendendum. 2º Quia veritas est, et fallere non potest. 3º Quia vita est iuxta illud Jo. XVII. Hæc est autem vita æterna, etc. unde merito Thomas Kemp. lib. III. cap. LVI. ait: Sequere me, etc. In secunda parte ostendatur, in quo præcipue imitandus sit, nempe ut quisque humiliet se ipsum, factus obediens, usque ad mortem crucis; de quibus vide tit. Christus, et tit. Humilitas, et Obedientia.

VII. Ex occasione thematis: *Non turbetur cor vestrum*, JOAN. XIV. ostendatur, quod, ut sapienter Epictetus advertit Ench. c. x. « Homines non perturbantur rebus, sed quas de rebus habent, opinionibus; unde potissimum medium tollendi turbationem est phantasiæ correctio; » quomodo autem hæc corrigi debeat, idem Epictetus c. xxxviii. sic ostendit: « Religiosis erga deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de iis habere opiniones, ut sentias, et esse eos, et bene, justeque administrare universa; parendum eis esse, et omnibus, quæ fiunt, acquiescendum; et sequenda ultro, ut quæ a mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab iis negligi te queraris. » Juvabit ad hunc conceptum dilatandum similitudo imaginis, quæ a dextris Christum, a sinistris Diabolum representat, et secundum diversum aspectum diversos affectus cit. Vide tit. Patientia.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, homines frequenter turbari ob iudicia Dei tam varia; unde narretur ipse historia de Eremita, cui Deus per Angelum judiciorum suorum æquitatem revelavit, ut in speculo Exemplorum narratur v. Judicium Dei, et quæ Angelus Eremita ibidem dixit, sententias Doctorum, et aliis historiis confirmatur.

IX. Ex eodem themate demonstratur, quod propter tribulationes etiam, et persecutiones turbari non debeant, si triplicem finem, propter quem a Deo immittuntur, bene considerent, scilicet filialem castigationem, probationem, et amoris demonstrationem, pro qua doctrina fusius eductanda vide tit. Patientia.